

/ Illustrissimo et Reverendissimo D. Roberto Cardinali Bellarmino,
Patrono suo summe Colendo, S.P.D. 1456

Illustrissime et Reverendissime Cardinalis, ea est humani sensus
imbecillitas, ut statim vires illius distrahi contingat, si pluri-
5 bus simul intendendum: ea aciei mentis nostrae obtusio, ut dum serio
quippiam agimus, reliqua tantisper aut negligenda aut seponenda sint
Mirum itaque nemini videri debet, si Illust/ma V/ra Dom. privatam
adhuc in Societate Jesu vitam agens, dum totus est in molimine tur-
ris quasi Davidica, ex qua mille clipei penderent, et omnis armatu-
10 ra fortium; opere inquam illo vastissimo Congroversiarum Generalium
nostri temporis, passa sit sibi excidere Conciones illas, quas obi-
ter et quasi aliud agens, in celeberrima Lovaniensium Universitate
pro suggestu maximo omnium ordinum applausu dixerat. Exciderunt qui-
dem Parenti partus (quia ea facilitate in lucem dati, ut Concionum
15 illarum Autographum etiam diligenter perquisitum, in scriniis ves-
tris reperiri non potuerit;) non defuere tamen qui neglectam ita
prolem obviis ulnis exciperent, in Musaea sua introducerent ac fo-
verent; nam bonum semen benignam terram nactum, tam altas radices
egit, ut plurimis jam non sufficeret Bellarmini Conciones audivisse,
20 nisi etiam easdem tanquam assiduos monitores ac duces perpetuos,
descriptas penes se haberent. Ex quo factum, ut earum varia Manus-
scripta Exempla tam in communibus quam privatis Belgii Bibliothecis
exstiterint; imo etiam (quod Reverendissimae V/rae Dominat. notum
est) transcensis Alpibus Romam pervenerint.

25 Multis igitur piis doctisque viris indignum est^{se} visum est, tan-
tum thesaurum à tam pauculis possideri et abscondi; sed publici ju-
ris eum faciendum esse contendebant. Quod ut per Typographum Coloni-
ensem fieret, primus ab Illustrissima V/ra Dominatione doctissimus
S.Theologiae Licentiatus Joannes Dulmenius obtinuit: quo ad Socie-
30 atem Jesu abeunte, ego licet viribus illi impar, successi, et suc-
cisivis horis, eoque tempore quo à quotidiana Sacrae Theologiae pro-

/ fessione vacare licebat, varia manuscripta, tam ex Urbe quam aliunde ad me transmissa Exemplaria sedulo contuli, librariorum menda quae irrepserunt, quod potui, sustuli; in reliqua nihil, nisi quod mihi concessum, juris sumpsit. Expurgatum vero Exemplum Coloniam ad
5 Typographum, à quo imprimendum erat, transmisi, ac simul eum ut circa impressionem advigilaret, rogavi: quo commune negotium fideliter promovente postliminio demum ad lucem redit quasi deperditus partus, qui alium sibi Patronum quaerendum non putat, quam Parentem ipsum; in cujus gremium si recipiatur, caeterisque fratribus suis aggregetur, adversus quosvis Zoilorum morsus satis tutum securumque se arbitrabitur.

Ego verò meipsum, omniaque mea obsequia, ac maxime hanc talem qualem opellam meliore quo possum animo Illustrissimae V/rae Dominationi offero, mancipio, pro cuius felici senio, quotidiana mihi ad
15 Deum vota et sacra sunt. Datum Moguntiae in Conventu S. Bernardini Fratr. Minorum Regulatis Observantiae. Anno M.DC.XIV. ipso S. Dominici festo.

Illustriss. et Reverendiss. Dom. Vestrae

Humillimus Cliens

F. Simon Ryckius.

20

Illustrissimi et Reverendissimi D. Roberti Bellarmini S.R.E. Cardinalis Conciones habitae Lovanii ante annos circiter quadraginta; nunc consensu Auctoris publicatae. Coloniae Agrippinae Apud Joannem Crithium sub signo Galli. Anno M.DC.XV. - Epist. Dedicatoria.

25 Idem... Apud Pet. Henningium sub signo Galli. Anno M.DC.XXVI.

Bibl. Nat. Paris Invent. D.6494.